



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

di fecisset, Papa Innocentius non cessauit Friderico nouum hostem opponere: misitq; in Alemaniā legatū Petrum Caputium cardinalem diaconum ad Velabrum: qui euocatis principibus electoribus, iuxta Coloniā, perfecit vt Wilhelmus comes Hollandiæ, vir impiger ad arma, rex Rom. eligeretur.

CAPVT XVI.

Vilhelmus Hollandia comes in Nussia rex Romanorū declaratur: Aderat inter multos principes, prelatos & nobiles, Iohannes comes Holsatia, & ab rege nouo pro more, cum multis alijs, cingulo militari decoratur, vt auratus indè miles vocaretur & esset. Quo tempore, cū in ecclesia multa pullularent hereses, perniciosissima quadam surrexit in Suenia, qua in summum pontificem & cardinales os aperuit, grauissimè blasphemans, Friderici Imperatoris & Conradi filij causam iustificans. Multi in eam sentinam fluxerunt errores. Audebant dicere, apud summum pontificem nullam residere auctoritatem: neque cardinales & episcopos, quod omnes vna labe Simonia macularentur, quicquam tenere à Christo potestatis: quodq; sacerdotes in mortali cōstituti, neq; ligarent, neq; soluerent, neq; consecraret: q; nemo in orbe Christiano interdiceret diuinis officijs, quodque sine discrimine ea audirentur, & celebraretur impunè. Et in sine sua p̄dicationis: Indulgentiam, inquit, quam annunciamus, nō à Papa confictam, non à prelati compositam, sed ex Deo omnipotenti vobis irrogamus. Conradus rex cū hosteretur predicatores, ipse penè incidit capitis periculum. Nam docti vndiquè viri, aduersus ista tam frivola & rustica dogmata cōtendentes, effecere, vt omnis nobilitas Conradum desereret, ipseque cogereur clam egredi de

procur

provincia. Interim *Wilhelmus* contenderat ad sui coronationem: sed *Aquensis* vrbs ita *Friderico* inhaerebat, vt non permitteret *Wilhelmo* primam ibi de more accipere coronam. Crucesignati in haeticos, oppugnaere eam urbem, vt compelleretur admittere principes solennia coronationis peracturos. Inde *Aggrediens* rex, ripam *Rheni* legit, Imperij praedia in suam accipiens potestatem. Sed cum aliquantam ibi moram facerent, nec essent abundi commeatus, quibus regiam suam sustineret, magnificentiamq; dignam Imperio impleret, in *Hollandiam* suam est regressus. Inde tamen proximo reuersus anno, cum auctis viribus incederet, plura quam ante Imperij sibi iura vendicauit.

CAPVT XVII.

INterea *Iohannes Holsatia* comes, cum rex *Daniae* *Ericus* fratres suos insectaretur, pro *Abel* duce *Slesuici*, sororio suo, arma sumebat in regem, fratremque *Gerhardum* vocabat in communionem belli, adunatis viribus & auctis per *Bremensem* archiepiscopum. Dum autem illi magnis itineribus, ingentique apparatu, venissent in *Iutiam*, rex cum fratre iam in gratiam redisse videbatur: nec poterant, nec volebant, qui armati venerant, fratribus iam vnum sentientibus, se interponere: unde pacatum agmen reduxere. Sed anno deinde sequenti, cum recruidisset bellum inter fratres, nihil moratus *Iohannes* comes, iterum amicos ad arma vocabat. *Archiepiscopus Bremensis*, & *Simon Padeburnensis* electus, auxiliaria illi facile arma mittebant, procinctusque mouebat in *Daniam*. Obstitit illi proprijs in finibus arx *Reinoldesborg*, quae veteri memoria semper erat iuris *Holsatici*: sed auus *Iohannis Adolphus*, cum a rege *Kanuto* premeretur, nec aliter manibus eius elabi